



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

*IOANNI CHRYSOSTOMO S.R.E. CARDINALI KOREC, S.I.,
EPISCOPO EMERITO NITRIENSI*

Venerabili Fratri Nostro

Ioanni Chrysostomo S.R.E. Card. Korec, S.I.

Episcopo emerito Nitriensi

Laeti laetum nuntium accepimus quod tu, Venerabilis Frater Noster, sexagesimam propediem anniversariam celebrabis memoriam illius diei semper tibi recolendi, quo Episcopus consecratus es et inter Apostolorum Successores relatus, huius nominationis occulte nactus honorem.

Quemadmodum tam felicitis nec non praeclari eventus ratio poscit, Nos, commemorantes ministerium sacrum quod diligentissime tot annos peregisti, te actuosum, fidelem ac prudentem Pastorem enixe laudamus praesentiamque spiritualem Nostram hac in festivitate tibi pollicemur.

Dum ergo flagrantia vota, quaecumque sunt salutaria, optabilia, fausta adprecantia, imo e pectore promimus, a sanctissimo ac sempiterno Deo tibi supernorum munerum copiam imploramus, quorum auspiciis simul atque propensae voluntatis Nostrae pignus esto Apostolica Benedictio, quam tibi amantissime impertimus.

*Ex Arce Gandulfi, die XV mensis Augusti, in Sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis,
Anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.*

BENEDICTUS PP XVI

© Copyright 2011 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana